



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento Decisiones Theologico-Legales

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisionis III. Ad Januarii primum Casum. Argumentum. Pro resolutione Casus: An Parochus non jejunos possit celebrare, & consecrare pro communicando moribundo? Ostenditur, quòd in initio Ecclesiæ & ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94643](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94643)

peccatorum nostrorum, in gratiarum actionem pro beneficiis a tua Pietate datis, & dandis; & in suffragium Animarum Purgatorii. Nonnulli demum advertunt, EUCHARISTIAE nomine aliquando SS. Patres Basilium, Nazianzenum, & Cyprianum enunciasse Sacramenta tum Baptismi, tum Confirmationis, ut notat Emin. Cardin. Brancatius in suis eruditissimis Dissertationibus De Sacro Viatico pag. 149. & Hierolex. Macri in Verb. Eucharistia.

DECISIONIS II.

Ad Januarii Quæsitum Secundum.

ARGUMENTUM.

Declarantur nomina, quibus à SS. Patribus consuevit nuncupari Sanctissima EUCHARISTIA, tum ut Sacrificium, videlicet, Missa, Hostia, Oblatio, Collecta, Dominicum, Agenda, Liturgia, Mystagogia, Latria, Anaphora, Dipnon, Telaion, & Telete. Tum ut Sacramentum, hoc est, Mysterium, Corpus, & Sanguis Christi, Communio, Synaxis, Corban, Eulogia, Reliquia, Confirmatio, & Viaticum.

SUMMARIUM.

- 1 Eucharistia consideratur vel ut Sacrificium, vel ut Sacramentum.
- 2 Eucharistia, ut Sacrificium, pluribus nominibus nuncupatur; ut hic.
- 3 Eucharistia, ut Sacramentum, quor, & quibus nominibus explicetur.

QUÆSITUM SECUNDUM.

Quor, & quibus nominibus nuncupetur EUCHARISTIA?

- R**esponsum fuit sub hac distinctione. Sanctissima EUCHARISTIA consideratur vel ut Sacrificium, vel ut Sacramentum. Quatenus Sacrificium est, vocatur sequentibus nominibus. Primò Missa, de cuius nominis significatione, & antiquitate Sperellus in *Paranesi Teleturg.* cap. 2. & Emin. Cardin. Bona in *Rerum liturgicar.* lib. 1. cap. 2. & 3. & nos infra Anno 1690. Mense Martio quæsit. 3. Secundò nuncupatur Hostia, quæ in lege veteri figurabatur tam in Victima placabili, & pacifica, quam in holocausto, ut dictum est supra, & ostendit Eminentiſſ. Card. Toletus in *Summ.* lib. 2. cap. 4. Tertiò appellatur Oblatio; siquidem continet in se Agnum Mysticum, Christum Dominum, qui oblatus est æterno Patri, Agnum quidem sine macula. Pamelius ad lib. Tertullian. de cultu semin. cap. 11. Quartò Collecta, quia colligitur in unum populus, ut sacrificio intersit, juxta illud *Levit.* 23. & *Deut.* 16. Quintò Dominicum; nam maxima, & præcipua functio est, quæ ex Domini institutione, & præcepto in Ecclesia peragitur. S. Cyprian. *Epist.* 63. ad Cæcil. S. August. *Epist.* 86. versus finem, & in Martyrolog. Rom. 8. Cal. Januar. Sextò Agenda, sic enim agere præcepit Dominus in sui memoriam, ut ex Concil. Carthagen. ex S. August. & aliis, ostendit Emin. Card. Bona d. lib. 1. cap. 3. sub n. 2. Septimò Liturgia, id est Publicum munus. Octavò Mystagogia, videlicet Secreta actio. Nonò Latria, id est Cultus Dei. Decimò Anaphora, hoc est Supplicatio, & invocatio. Undecimò Prophora idem ac oblatio. Duodecimò Oeconomia nempe Dispensatio, ut eam vocat

S. Epiphanius *Heres.* 75. Decimo tertiò appellatur Immolatio, quia Romani sacrificantes Victimam Idolis suis, eas aspergebant Sale, & Farre asse, quod dicebatur Mola; à quo verbo dictum est Immolare, & Immolatio. Ita P. Ant. Foresti in *Mappamundo rom.* 2. lib. 15. cap. 9. pag. 108. Demum Hierurgia, id est Actio sacra. Eulogia, id est Benedictio. Agathon hoc est Bonum. Dipnon scilicet Cæna. Telaion, id est Perfectio, Et Telete, nempe Sacrificium mysteriorum plenum, maximum, & honoratissimum, ut pluribus auctoritatibus Sanctorum Patrum comprobatur Eminentiſſ. Cardin. Bona, d. l. 1. cap. 3. per totum.

Quatenus verò Sanctissima EUCHARISTIA est Sacramentum, nuncupatur. Primò Mysterium, ob profunditatem mysteriorum in ea contentorum. Secundò Corpus, & Sanguis Christi, qui sub speciebus panis, & vini verè, & realiter continetur. Tertiò Communio, quia commercium cum Christo habemus, & carnem ipsius, & Divinitatem percipimus, S. Damascen. lib. 4. de Fide Orthodoxa cap. 14. Quartò Synaxis, id est Adunatio, quia fideles simul adunabantur ad communicandum; & christiana charitate in unione cordium vivebant, ideoque ante communionem ad invicem osculabantur, ut ex SS. Patribus notat Gratian *Disceptat. Forens.* cap. 4. 2. num. 17. Bzov. de Sign. Eccl. Dei lib. 14. cap. 5. & Emin. Cardin. Bona *Rerum Liturgicar.* lib. 1. cap. 21. sub num. 6. Quintò dicebatur Corban, quod verbum Arabicum est, significans Donum, juxta illud *Marc.* 7. 11. Corban quodcumque ex me tibi proderit. Videatur Macer in *Hierolex. Verb. Corban.* Sextò Eulogia pariter significans munus. Eminentiſſ. Cardinal. Brancatius de Sacro Viatico pag. 151. Septimò Reliquia; quia post Missam relinquitur, & conservatur in Tabernaculo ex Divo Clemente Papa. Macer in *Hierolex. Verb. Reliquia,* ubi notat, quod in Euchologio Græco Eucharistia dicitur *ἡ εὐχάρις*, id est Sancta Reliquia; & à Sancto Germano vocatur *σῶμα τοῦ κυρίου*, hoc est Divina Reliquia. Octavò appellabatur Confirmatio, quia tempore persecutionum dabatur fidelibus, ut ea refecti confirmarentur in fidei confessione, & in martyrii persequutione. Emin. Card. Bona d. lib. 1. cap. 25. num. 4. Tandem nominatur Viaticum, quia est nobis, in hujus peregrinationis, & mortalis vitæ via ad celestem Hierusalem properantibus, mirificum alimentum, & robur; maxime imminente morte. Layman lib. 5. tract. 4. cap. 1. num. 6. Francisc. de Lugo lib. 4. in princ. ubi alia nomina enumerat. Emin. Cardin. Bona d. lib. 1. *Rer. Liturg.* cap. 3. & Macer in *Hierolex. Verb. Eucharistia.*

DECISIONIS III.

Ad Januarii primum Casum.

ARGUMENTUM.

Pro resolutione Casus. An Parochus non jejunus possit celebrare, & consecrare pro communicando moribundo, ostenditur, quod in initio Ecclesiæ, & successivis temporibus, non nisi jejuni Sacerdotes celebrabant, & fideles pariter jejuni communicabant; quamvis Missæ essent Vespertinæ, vel nocturnæ. Abusum celebrandi, vel communicandi absque jejunio, semper ab Ecclesia damnatum, vel repressum, exceptis novem casibus, qui hic exponuntur. Inter hos definitur non intra-

intrare casum fuprafcriptum Parochi non jejuni; immo eundem Parochum esse puniendum ab Epifcopo comprobatur, vel fufpenfione à Divinis, vel carcere, aut alia poena arbitraria.

SUMMARIUM.

- 1 Euchariftia data à Chrifto Apoftolis non jejunis.
- 2 Jejunium ab Ecclefia femp̄ requifitum in recipienda Euchariftia.
- 3 Miffa antiquitus nocturna, & vefpertina.
- 4 Primicerius S. Marci Venetiarum cantat Miffam in nocte Nativitatis Domini, fed adhuc jejunos.
- 5 Abufus celebrandi, vel communicandi absque jejuni femp̄ repressus ab Ecclefia.
- 6 Euchariftia absque jejuni fumi potest in novem casibus.
- 7 Parochum non jejunum poffe celebrare pro communicando moribundo alii afferunt, alii negant. Sed negativa est verior. num. 8.
- 9 Parochus, qui non fervat Euchariftiam pro infirmis, est puniendus ab Epifcopo poena fufpenfionis à Divinis. Ac etiam poena carceris. num. 10. Vel pecuniaria. num. 11.

PRIMUS CASUS.

OB generalem Communionem à Parocho post Miffam factam, nulla remansit Hoftia consecrata. Sequenti mane Parochus cassia dramnam fumpferat, cum de Parochiano in mortis articulo constituto monetur. Queritur, an, non jejunus possit celebrare, & consecrare ad communicandum moribundum praedictum?

Rectores Animarum hujus Patavinæ Diœcesis, quorum plures verfatissimi sunt in Ecclesiastica Historia, in lectione Sanctorum Patrum, & in antiquis Ecclesiæ Ritibus, pro majori explicatione præsentis casus præmiserunt quatuor.

Primum: quod quamvis Christus Dominus de hoc mundo discessurus ad Patrem, post efum Agni, & communem cum Discipulis carnem, adimpletis legalibus ceremoniis, ac sine imposito antiquis Sacrificiis, novum pretiosum Corporis, & Sanguinis sui instituerit Sacramentum, illudque Apoftolis non jejunis fuerit impertitus, nihilominus Ecclesia, ejusdem magisterio edocta præcepit, ut hoc Sacrosanctum Myfterium nonnisi à Sacerdotibus jejunis celebraretur; & à fidelibus jejunis naturali abfientia, & (ut loquitur Tertullian. de jejun. cap. 6.) Virgine adhuc Saliva, tantum exciperetur. De quo præcepto, & ejus observantia, in ipsis Ecclesiæ incunabulis, & fucceslivis temporibus inviolabiliter servata, testes sunt SS. Gregor. Nazianzen. Orat. 40. Basiliius hom. 1. de jejun. August. ep. 118. cap. 6. ad Januar. Chryfoft. Hom. 27. in Epist. 1. ad Cor. & ep. 125. & alii plurimi relati ab Enun. Card. Brancatio in Differtat. de Sacro Viatico; & Bona Rer. Liturgicar. lib. 1. cap. 21. & consonant textus in can. Sacramentor. 49. de consecr. dist. 1. in can. Liquido 54. de consecr. dist. 2. & docet S. Thomas 3. p. q. 80. art. 8. & Scotus in 4. sent. dist. 8. q. 3.

- 2 Secundum Præmissum. Et quamvis in primordiis Ecclesiæ Sacrosanctum Miffæ Sacrificium, ut plurimum, tempore noctis celebraretur, pro securiori accessu fidelium tempore perfectionum, & essent

Doct. Clericali Tom. I. Lib. II.

in usu Miffæ Vespertinæ, ad paulatim extinguendum ritum Synagogæ, quæ sacrificia manē, & vespere offerre consueverat; ut latius infra in Mense Martio ad Primum Casum, nihilominus Sacerdotes celebrantes femp̄ erant jejuni, ut constat ex S. August. epist. 86. ad Casulanum; & ex pluribus SS. Patribus deducit Emin. Cardin. Bona d. lib. 1. Rerum Liturgicar. cap. 21. ubi advertit, per plura sæcula fuisse in usu nonnullas Miffas nocturnas, præsertim in Sabbato Sancto, de quo S. Hier. in Matth. cap. 25. & Tertullian. lib. 2. ad Uxorem cap. 4. & ideo in Oratione illius Miffæ, in Præfatione, & in Communicantes dicitur *Sacratissimam noctem*, quia celebrabatur media nocte; & ulterius in Quadragesima, & in Vigiliis quatuor temporum Miffa dicebatur hora Vespertina, protracto femp̄ jejunijs usque ad ipsam, quæ statio sera appellatur à Tertulliano lib. de jejun. & habetur in cap. Solent. de Consecrat. dist. 1. prout etiam in nocte Nativitatis Domini jejunium servabatur usque ad ejusdem noctis medietatem, in qua Miffa celebrabatur. Cap. Noctē Sancta de consecr. ead. dist. 1. quod adhuc servatur Venetijs in Basilica Ducalis Sancti Marci, in qua circa secundam horam noctis cantatur prima Miffa Nativitatis Domini à Primicerio adhuc jejuno; & in alijs Provinciis, & de alijs Miffis nocturnis refert eruditissimus Card. Bona d. lib. 1. cap. 21. n. 4. & 7. ubi notat quod post sæculum duodecimum tantummodo Miffæ in diebus Quadragesimæ, & jejuniorum cæperunt dici hora nona; & subinde tum universali usu, tum à Rubricis Miffalis, & à Constitutione 4. S. Pii Quinti in Bullario (quæ incipit *Sanctissimus*) statutum est, ne deinceps Miffæ celebrarentur post meridiem, prohibitis omnino Miffis Vespertinis, & Nocturnis.

Tertium præmissum. Verum tamen est, quod præci illis temporibus vel ex aliqua honesta intentione, vel hæreticorum vafritie, aut incuria Episcoporum in pluribus Provinciis irrepperat abufus, ut aliquando non jejuni celebrarent, vel communicarent; ut de feria quinta in Cœna Domini narrat S. August. d. epist. 118. Socrates lib. 5. Hist. Eccl. cap. 21. Sozomenus lib. 7. cap. 19. & Nicephorus lib. 12. cap. 34. At ab Ecclesia fuit femp̄ repressus, & damnatus hujusmodi abufus, contra quem prodire plures canones in pluribus Conciliis, de quibus apud Eminentissimos Cardinales Bonam d. lib. 1. cap. 21. n. 2. Brancatium de Sacro Viatico pag. 147. & de Lauræa in Epitome Canonum Verb. Euchariftia sub rubric. Euchariftia à quib. & qua dispositione. Et de Lugo de SS. Euchariftia disp. 15. à n. 22. & seqq.

Quartum tandem præmissum continet casus novem, in quibus licitum est sine naturali jejunijs fumere sanctissimam Euchariftiam. Primus est; si Sacerdos celebrans post assumptam Hoftiam, vel Vinum consecratum repererit, illam, vel istum non fuisse materiam aptam; debet enim iterum consecrare, Hoftiam triticeam, Vinumque verum, & licet non jejunus fumere, ut præcipit Rubrica Miffalis. De defectibus in celebratione Miffarum occurrentibus §. 3. num. 5. ubi hæc redditur ratio: Quia præceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod à jejunijs sumatur. Secundus casus est ille, quem narrat eadem Rubrica Miffalis §. 10. num. 3. his Verbis: Si Sacerdos ante consecrationem graviter infirmetur, vel in fyncopem incidit, aut moriatur, præmittitur Miffa: Si post consecrationem Corporis tantum, vel ante consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id acciderit, Miffa per alium Sacerdotem expleatur

A 2

ab eo

ab eo loco ubi ille defuit, & in casu necessitatis etiam per non jejunum. Et docuit S. Th. 3. par. q. 83. art. 6. ad 4. Sed deficientibus Sacerdotibus, an Laicus possit fumere Hostiam, & Sanguinem de calice in prædicto casu disputabitur infra in Mense Augusto Decis. 39. Tertius est casus si Sacerdos oblitus, se non esse jejunum, Missam inchoaverit, nam si recordetur post consecrationem, debet perficere Missam, & se communicare. Tamburin. In Methodo expedit. commun. cap. 2. n. 33. ubi id admittit, etiam si in memoriam veniat cibum sumptus ante consecrationem, quando esset imminens scandalum, vel infamia ex doctrina Præpos. in 3. p. q. 80 art. 8. dub. 2. n. 49. Quartus est, si post assumptam ablutionem videat in patena fragmentum consecratum, sive magnum, sive parvum, nam debet illud assumere vel in altari, vel in sacristia; tam ante, quam post exutas vestes sacras; etiam si relictum fuisset ab alio Sacerdote. Sylvest. Verb. Eucharistia 3. §. 8. Marchin. de ord. tract. 3. par. 3. cap. 3. n. 19. quem citat, & declarat Tamburin. d. cap. 2. n. 38. & 39. Quintus si sit periculum irreverentiae erga Sacramentum, puta quia hæreticus, vel sacrilegus sit in ipsum positurus manum, nam potest assumi à non jejunio, Card. de Lugo disp. 14. de Euchar. n. 3. Tamburin. ubi supra cap. 1. n. 76. & cap. 2. n. 41. Qui in tract. de triplici Jure lib. 4. cap. 5. §. 1. n. 6. addit, quod in tali casu posset Laicus sumere de calice Sanguinem Domini, Sextus, si particula Hostiæ consecrata inhaeret fundo calicis post assumptum sanguinem; vel palato infirmi communicati; siquidem per assumptionem vini potest fieri deglutibilis, quamvis vinum prius descendat in stomachum; nam parva illa mora censetur moraliter eadem comestio. Card. de Lugo disp. 15. n. 79. Tamburin. d. cap. 2. num. 42. & 43. Septimus, ob metum mortis cadentem in constantem virum, nisi Sacerdos celebret non jejunus, dummodo non sit illatus metus in contemptum Religionis, sed ut aliquis Vir potens audiat Missam, Tamburin. citans Ochagaviam, & de Lugo d. cap. 2. n. 45. Octavus, si ex justa aliqua causa Papa dispense; prout Julium Tertium dispensasse cum Carolo V. Imperatore, quod propter stomachi languorem potuisset refici sacra Eucharistia etiam non jejunus cum Bulla ann. 1554. 19. Martii ex Famiano Strada lib. 1. Decad. 1. de Bello Belgico, notat Tamburin. d. cap. 2. num. 46. & refert Emin. Cardin. Brancatius de Sacro Viatico pag. 147. Tandem Nonus casus est, articulus, vel periculum mortis; nam ait Rituale Romanum in Rubric. de Commun. Infirmit. Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis, Rationem hujus Indulgentiæ reddit Emin. Card. Brancatius d. dissertatione de Sacro Viatico pag. 146. his verbis: Pia Mater Ecclesia nobis in patriam redituris, ut in fortitudine hujus cibi ad montem, qui Christus est, pervenire valeamus sacrum hoc Corpus, ac celeste Viaticum (ne casus aliquis opportunum subsidium Christianis militibus, extremis horis cum demone confligentibus, aliquando præcipere possit) non jejunis etiam exhiberi mandavit; multo magis existimans consentaneum, ut quis non jejunus Christi Corpus assumat, quam (ne irreverentiam aliquam infirmus committat) absque hujusmodi Pharmaco salutari decedat. Hanc autem permissionem in usu fuisse etiam in primordiis Ecclesiæ constat ex eo, quod adulti, qui baptizabantur in periculo mortis, etiam prænatis dabatur Sacra Synaxis una cum baptismo. S. Jo. Chrysostom. Epist. 125. ad Cyriac. Severus Alexandrinus lib. de Baptismo, & Macer. in Hierolexic. Verb. Baptismus. Quomodo autem sit in praxi accipiendum periculum, seu arti-

culus mortis ad effectum communicandi non jejunum, docet Card. de Lugo cit. disp. 15. de Euchar. à n. 72. & seqq. Tamburin. dict. cap. 5. §. 10. & Gobat. in Experiment. Theolog. tr. 4. n. 182. & seqq. quos legere studiosum non pigeat.

His ita præmissis devenit fuit ad resolutionem propositi casus; videlicet:

An Parochus non jejunus possit celebrare & consecrare ad communicandum Moribundum prædictum.

Relatus fuit ingens numerus Doctorum assentientium, & negantium, posse Sacerdotem in casu proposito celebrare; quorum nomina scribunt Diana part. 2. tract. 14. ref. 66. Item part. 3. tr. 4. ref. 33. Item part. 5. tract. 3. ref. 35. Quæ relident in Coordinato tom. 2. tract. 1. ref. 130. 131. & 132. & Franciscus de Lugo lib. 4. cap. 7. qu. 7. n. 78. Rationes affirmantium sunt, quia Præceptum communionis in articulo mortis est Juris Divini, quod debet prævalere Præcepto Ecclesiastico de jejunio. Qui sicut Ecclesia dispensat cum ipso infirmo à jejunio, ita censetur dispensare cum Sacerdote, ut possit communicare infirmum; & sicut Sacerdos qui libet in mortis articulo constitutus potest non jejunus celebrare, ut seipsum communique, ita pro communicando alio: siquidem ex lege charitatis quod pro nobis facimus, pro proximo facere debemus; & hanc opinionem præter ceteros tenet Quartus in Rubr. Missal. p. 3. tit. 9. sect. 1. dub. 7. Fundamenta illorum, qui negant, hæc sunt. Ellæ contra reverentiam tanti Sacramenti celebrare sine jejunio; cum hoc non liceat nisi in casibus ab Ecclesia expressis. Quod si admitteremus licere sine jejunio litare, dicendum esset, fore licitum celebrare sine vestibus, sine lumine, sine altari, quod esset magnum absurdum. Quod hoc Sacramentum non est absolute, & simpliciter necessarium ad salutem, & ejus Præceptum non obligat infirmum, quando non adest habilis minister, à quo illud recipiat; & hanc opinionem præter plures allegatos à Diana, & à Quarto ubi supra, amplexi sunt Azor. part. 1. lib. 1. cap. 30. q. 2. §. sed unde constar. Barbosa de offic. Parochi cap. 20. n. 40. Emin. Card. de Lugo de Eucharistia disp. 15. n. 68. Et Pignatelli. tom. 1. consult. 39. n. 2. Quamvis utramque opinionem admittant novissime Gobat. tract. 4. n. 334. Pax Jordan. lib. 3. tit. 3. n. 34. & Bissus in Hierurgia Sacra littera S. n. 29. §. 3. & 4. tom. 2. pag. 448.

Mihi tamen videtur omnino tenenda opinio negativa tam in Civitatibus, quam in Castellis, in quibus frequentes sunt Ecclesiæ tam Sæculares, quam Regulares, ad quas haberi potest recursus, & inde deferri Sanctissima Eucharistia pro communicando moribundo; & idem videtur sentiendum in Villis, quæ parum inter se distant; sicut enim dimidium horæ ad minus requiritur, ut Sacerdos se præparet ad Missam, & celebret pro consecrandâ Hostia: ita per unius horæ spatium, seu parum plus posset properare ad viciniorem Parochialem, ad Sacramentum Venerabile obtinendum; & ad domum infirmi deportandum. Quod si tempus non sufficiat, satis erit infirmo, sacram Synaxim spiritualiter, & in Voto suscipere, siquidem, ut ait Gloss. super illud 1. Cor. 11. Qui manducat, & bibit indigne &c. Duo sunt modi manducandi, Unus Sacramentalis, & altus Spirituallis; & de hoc spirituali ita disserit S. Thom. 3. part. quest. 80. art. 1. ad 3. videlicet: Effectus Sacramenti potest ab aliquo percipi, si Sacramentum habeat in Foro, quamvis non accipiat in re. Et ideo sicut aliqui baptizantur in baptismo fluminis propter desiderium baptismi antequam baptizentur baptismo aqua, ita etiam aliqui man-

manducant spiritualiter hoc Sacramentum antequam sacramentaliter sumant, propter desiderium sumendi hoc Sacramentum. Et quod sufficiat moribundo, ubi non potest habere Sacramentum Eucharistiae in re, suscipere illud in Voto, eruditè demonstrat Eminentiss. Card. de Lauræa de Eucharist. disput. 25. à n. 10. usque 24.

Non est autem omittendum, quod prædictus Parochus esset de Jure punibilis ab Episcopo ob nimiam negligentiam, quia sciens non remansisse in Pixide particulas consecratas, omisit celebrare, & consecrare, antequam medicinam sumeret; & hæc dicitur negligentia magna, quæ non solum est culpa Magna negligentia, ff. de verb. signific. sed etiam culpa lata, quæ æquiparatur dolo. Lata culpa ubi Gloss. in Verb. nimia, ff. de Custodia adhiben. reor. Idcirco Parochum negligentem in exhibendis Sacramentis populo suo esse punibilem, scripserunt Grilenzon conf. 171. per totum, & Diaz. in Pract. Criminal. cap. 45. ubi in addit. in fine subdit, vidisse in similibus negligentis imponi poenam suspensionis à divinis, & reclusionis ad tempus, idest carceris. Et quidem justè; siquidem ubi poena non est statuta à Jure, imponitur arbitrio Judicis, l. Hodie ff. de Pœnis Chartar. decis. criminal. 90. n. 13. & inter poenas arbitrarías circa Clericos primum gradum obtinet suspensio ab officio, idem Chartar. decis. 66. num. 120. Quo verò ad carcerem facit doctrina Menochi de arbit. jud. casu 571. num. 6. 7. & 8. dicentis, ex negligentia non esse judicem puniendum poena corporali, negligentia concurrente res humanas, secus si agatur de spiritualibus, & respicientibus religionem, & salutem animarum. Et quod poena arbitraria possit extendi etiam ad corporis afflictivam, excepta morte naturali, docent ex criminalistis Jul. Clar. §. fin. qu. 85. num. 10. Giurba conf. 14. num. 15. & ibi Card. Tuscus litter. P. cons. 236. n. 37. & 40. & confert ad prædicta Monald. vol. 2. conf. 32. num. 35. ubi plura cumulat circa poenas Prælati negligentis.

Et absque scrupulo possit puniri saltem poena pecuniaria, quia plectuntur Parochi negligentes in subministrando pueris pabulo doctrinæ christianæ, sumpto argumento de pane doctrinali ad panem Sacramentalem, Chartar. decis. 68. n. 7. Hinc in Synodo diocesana Eminentiss. Cardinalis Caroli Barberini anno 1685. cap. 9. num. 2. præcipitur, ut conferrentur sacra particula, ea copia, ut fidelibus communicari volentibus, & maxime infirmis nunquam desint; alioquin Parochi, quorum culpa defecerint, severe puniantur. Illa autem dicitur punio severa, quæ fit cum aliquo rigore, etsi justo. Alberic. à Rosate in suo Dictionar. Verb. Severitas, ubi Archidiacon.

DECISIONIS IV.

Ad Januarii secundum Casum.

ARGUMENTUM.

Sacerdotem mortali culpa detentum, qui pluribus personis EUCHARISTIAM ministrat, mortaliter peccare ostenditur, ratione, auctoritate Doctorum, & indignatione Divina in Ozam, cujus percussione plures, & elegantes causæ referuntur. Deterrantur Sacerdotes in peccato EUCHARISTIAM ministrantes revelatione S. Birgitæ, & aliis exemplis, ex optimis Auctoribus hæc relatis.

- 1 Eucharistiam ministrare in mortali non est mortale. Contrarium verius num. 2.
- 3 Oza qua de causa percussus à Domino?
- 4 S. Birgitæ revelatio de malis Sacerdotibus.
- 5 Diaconi impudici exemplum ex Sancto Gregorio Turonensi.
- 6 S. Eudoxia Martyris exemplum de Eucharistia.
- 7 Pagani tangentes Eucharistiam, ab ea combusti.

SECUNDUS CASUS.

Sacerdos mortali culpa detentus Eucharistiam ministrat pluribus personis. Queritur, an mortaliter peccet?

Alios DD. affirmare, & alios negare dictum fuit. Nomina eorum, qui negant, esse peccatum mortale ministrare Sacram Eucharistiam à Sacerdote mortali culpa detento, referuntur à Franc. de Lugo de Sacram. lib. 1. cap. 2. quest. 5. num. 39. & à Diana coordinato tom. 2. tract. 2. res. 15. desumpta ex part. 2. tract. 14. res. 23. quibus adscriptus est Barbosa de Parocho cap. 20. num. 17. Horum ratio est, quia hæc administratio non est actio causativa gratiæ per se loquendo; & ministrans non censetur Minister Dei ad justificationem proximè sicut in aliis Sacramentis, sed tantum est, veluti applicans activa passivis, & hanc opinionem tutam in praxi vocat Gobatz, etsi probabilior putet contrariam in sua Theol. Experim. tract. 4. n. 387. & 388. Tamburin. de exp. Comm. cap. 1. §. 7. n. 59. Et Bisius in Hierurgia sacra Verb. Eucharistia n. 174. §. 4. & §. 5. Affirmantium nomina pariter referuntur ab eodem Franc. de Lugo ubi supra n. 40. inter quos Angelicus Doctor in 4. dist. 5. quest. 2. art. 2. in quest. 4. ad 2. ubi tenet, Sacerdotem ministrantem aliis Eucharistiam in peccato mortali peccare mortaliter; ea ratione quia hoc Augustissimum Sacramentum nunquam nisi à ministris Ecclesiæ ministratur, & quicumque in mortali existens, exhibet se ministrum Ecclesiæ, peccat mortaliter. Ultra quod negari non potest, gravissimam indecentiam committi ab eo, qui in sordidissimo statu peccati, & in inimicitia cum Deo, audet contrectare manibus Sacrosanctum Christi Corpus, ut considerat Emin. Card. de Lugo de Sacram. in comm. disp. 8. n. 155. Et ideo cum hac opinione est nobis transeundum, quam amplexi sunt Possevin. de Offic. Curati cap. 5. n. 39. Cotonius Controv. celebr. lib. 2. controv. 4. n. 173. Volpi in Resolut. Moralib. resol. 59. n. 7. & resol. 140. n. 19. Layman. lib. 5. tract. 1. cap. 5. n. 7. Busenbaum lib. 6. tract. 1. c. 1. dub. 2. §. 6. Caramuel in Theol. Fundament. n. 745. Bonacina de Sacram. Euch. disp. 4. quest. 5. pun. 2. n. 1. Reginald. lib. 29. n. 56. Sylvest. Verb. Eucharistia 3. n. 4. Sotus in 4. dist. 13. art. 3. Et præter Valentianum, Suarezium, Coninchium, Villalob. & Filliuc. Bordonus Variar. resolutionum part. 2. res. 64. à n. 22. & seqq. ubi acriter Dianam impugnat, atque iuribus, auctoritatibus, & rationibus probat, Sacerdotem ministrantem in peccato mortali Sacram Eucharistiam, peccare mortaliter.

Confirmatur hæc opinio punitione Ozæ, qui indignus tetigit Arcam Veteris Testamenti: nam Iratus est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate, qui mortuus est ibi juxta Arcam Dei. 2. Reg. 6. 7. licet enim Sacri Interpretes varii sint in assignanda causa hujus punitionis. Alii enim dicunt, punitum Ozam, quia more gentilium posuit